



M.-s. 1297

Am F.  
R

2197.6

F. A. 3 Maay  
1831 oho

# S A L A.

AD REVERENDIS-  
*SIMVM ET ILLVSTRISSIMVM*  
Principem *SIGISMVNDOVM* Archi-  
episcopum Magdeburgensem, & Mar-  
chionem Brandenburgicum.

Michaële Haslobio Berli-  
*uenſi Marchico autore.*



Vuitebergæ excudebat  
Laurentius Schuenck,

M. D. LXIII.

Eriditione virile et private offert  
anno tñ. Pauli fructu philosopho  
philie v. archi Negro, amico suo  
Civitatis

S A L A.  
Ad Illustrissimum Sigis-  
MVNDVM ARCHIEPISCO-  
pum Magdeburgensem, & Marchio-  
nem Brandenburgicum.

Tunc ubi digressum patria me celsa fouebant  
Atria Magnatum, fumosis nota Salinis,  
Ver & odorato ludens in gramine, propter  
Conualles, solito ornabat nemora ardua cultu:  
Mane nouos inter flores, salicesq; iacebam  
Fessus, & optato solabar flumine curas.  
Dumq; resurgentum teneor dulcedine florum,  
Sala suis, herba indutum, caput extulit undis.  
Vtq; salutasset redeuntis lumina Phœbi  
Sublimem Parijsq; tholis, auroq; decoram  
Talia, testatus sua gaudia, cœpit ad arcem.  
Iam, niue sublata, Solis face, Portitor Helles  
Fulget, & os effert breue Ver in luminis auras.  
At Chloris redimita comas benè olentibus herbis  
Exultat, placidisq; oculis rosea arua tuetur.  
Ipsa etiam proles Veneris sua spicula in artus  
Mittit, & inspirat pratis hominiq; calores:  
Sed Charites lepidæ exornat pulchro omnia uultu,  
Et terram cupiunt populosq; reuiseré terræ.  
Nec minus Heroū domus, et uos mænia largo

Aucta

Aucta sale, & ciues: tuq; o dulcissima rerum  
Vrbs Domina, ostendas plausus. En secula vobis  
Aurea promittunt Superi, pacemq; togatam.

Nunc agros sperata Salus inuisit & vrbes,  
Alma Salus, ornata auro, & Parnaside Lauro,  
Copia quam rerum sequitur, pomisq; refertum  
Et folijs cornu, Diuorum munere plenum.

Iamq; adeò cultus redeunt, & prisca Deorum  
Relligio, constans, cui se socio agmine iungunt  
Virtutes, & vera Fides, quæ paupere cultu,  
Daphneum gestat nitido sub vertice sertum,  
Alis conspicua, & tendens super æthera pennis.  
Spes illi sociata manus ad sidera tollit,  
Cordibus ac lœtis fouet alti gaudia cœli.

Hanc comes in sequitur Dea, quæ seruire parata est  
Omnibus, it iuxta Pietas pulcherrima, Diuos  
Quæ monstrat digitis, & Amorem Patris & almæ  
Ostendit Jobolis: Liber huic oracula pandit,  
Mystica, cœlestum contenta in cortice Vatum.

Alma Themis terras etiam colit æthere ab alto,  
Cui gladius dextram grauat, & lanx pendula lœuam.  
Æqua facit, rectiq; decus, iustumq; tuetur.

Hanc circum plaudit Grauitas, et amabile Numen  
Blanda Charis, multæq; aliæ sine nomine Diuæ.

Scilicet hæc Doris Vates præsaga futuri,  
Oceani coniuncta Doris, cui flumina flores  
Multiplices ferimus, medijs prædixit ab yndis.

A 2 Adue-

Aduenisse diem, quo præstantissimus Heros,  
Marchiacæ gentis columen, tot mœnia sceptris  
Adiungat, populosq; regat, pacemq; ministret.  
Tunc fore quileges statuat, quo uindice iustum  
Floreat, & rectis tribuantur præmia factis.

Atq; aliquis cernens illa aurea secula, plenus  
Læticiae dicet: celebres saluete Salinæ  
Cum populis, iam tempus adest, quo bella quietem  
Inuenient, omnesq; reget pax optima terras.  
Hinc mea cœlesti manabunt flumina succo,  
Mellaq; vicinæ properabunt arbore Quercus,  
Ac teltus inarata feret cum frugibus herbas.

Quin etiam lœtis crescentes messibus agri  
Percipient cantus volucrum, teq; Attica coniunx  
Fingentem numeros, admirabuntur Olores,  
Dum quereris crudele nefas, ausumq; Tyranni.

Et docti tenera arua petent, citharaq; canentes  
Sustollent Proceres cantu, & super astra leuabunt.  
Carmina mirabor fluitans, mirabitur arbos,  
Atq; auis implebit uacuas concentibus auras  
Crescentes inter salices, & ruris honores.

Tuq; solum, quod larga Ceres prouentibus implet  
Erigones calido subsidere, pone querelas,  
Te Dryades Nymphæq; colent, pulcræq; Napeæ,  
Alma Ceres larga ditabit messe colonos.

At cernens numerum, pinguis mirabitur agros,  
Et quo tanta fluat meliorum copia rerum

Quæret,

Quæret, & optabit simili procrescere vita.  
Tuta paludosos pascunt armenta per agros,  
Cognataq; manus tingens Discordia cæde  
Aufugit à nobis rigui trans ostia Nili.

Vos quoq; qui Regum titulos & sceptra timetis  
Saxonici gaudete soli pia pectora, ciues.  
Gaudete, & Superis promunere dicite grates.  
Iam melior vobis requies & vita parata est:  
Arma silent, nullisq; gemunt mea regna querelis.

Est pulcrum magnas ad cœlum tollere moles  
Conspicuas auro, & leui de marmore ductas,  
Quas olim possit mirari sera vetustas,  
In quibus afflictis Præses succurrere discat  
Rebus, & has aliqua cura fulcire labantes.  
Pulchrius est animis præbere sedilia doctis,  
Qui Procerum vigili seruare negocia nixu  
Assuescant, onerisq; velint in tergora partem  
Suspere, & prodesse viris, recteq; mereri.  
Ante alias verò res est pulcherrima doctis,  
Diuinisq; Hederæ cultoribus hospita curas  
Inter, & ambiguam sortem promittere tecta,  
Vnde rogis magni subeant adsidera Reges.  
Nam nisi cantentur generosi fortia Martis  
Facta, cadent, nigrasq; subibunt cuncta fauillas.  
Non mihi, si docti mea laudent flumina Vates  
Halcionum lamenta velim, nec propter aquarum  
Delicias, dulces Cycnorum discere cantus.

A 3 Cresce

Cresce diu princeps, pulchrisq; annitere factis  
Surgere. Semipolis tua iungit nomina cœlis,  
Parthenope tibi nostra fauet, quæ labitur Albis.  
Vtraq; conspiciens vultus mirabitur illos,  
Et tibi constituet cumulandas floribus aras.

Ecce tibi tellus varios summittit odores,  
Luteoli caltham floris, violasq; nitentes,  
Liliaq;, & pulcro spirantia semina vultu,  
Italiæ quondam, sed quæ nunc plurima crescunt  
Finibus in nostris, decora alta ferentia pratis.  
Inde tibi Sueus, Viaderq;, & Huelus Olorum  
Carminibus celebris, pater & notissimus Albis  
Serta parant, laudiq; fauent, ac sibila tentant.

Magnus eris, cœliq; senem complexibus olim  
Impedient, altisq; dabunt considere in astris,  
Dum Lauro tectus crines, & crine Galerum  
Conspicuus gestans, orbis te sedibus aufers.

At tibi dum nectent Parcæ felicia vitæ  
Stamina, qui cantus o quæ te gaudia Vatum  
Excipient, & laude vebent crescentibus annis,  
Quos pie clementi Præsul dignabere vultu.

Ergo tibi varios ad ripam procreo flores,  
Cypridos & curam, Phœbiq;, & nomina Regum  
Qui gerit in folijs, & Regum funera plorat,  
Hæc ferimus tibi nunc, alijs maiora dabuntur.

Huc ades o Præses, plenis & danda canistris  
Germina sume libens ut gratæ nuncia mentis.

No<sub>s</sub>

*Nos qui conspicuam fluuiio contingimus arcem  
Gignemus medicis flores conatibus aptos,  
Vnde noui redeant in languida membra calores.*

*Accipe et hunc calamū, quo te quo sāpe canemus,  
Ocia si nostris fuerint concessa querelis:  
Accipe, nec Sale, neq; Musæ despice laudes.*

*Salve Heros salve ô dubijs dux vnicē rebus,  
Sāpius & posthac nostras audire Camœnas  
Perge, tibi seruit cithara, & tibi flumina plaudunt.*

*Hæc ille, & fundens largos ex amne liquores,  
Vnde vigor redeat latè surgentibus herbis,  
Occuluit caput, ac Nymphis de more ferebat  
Iura pater, sceptris, & docto carmine clarus.*


*Tu verò, Procerū soboles pulcherrima, Princeps,  
Quo duce sancta Themis celsam moderabitur aulam,  
Adsis ô bone Präful, & has solare Camœnas.*

*Saxonici gaudent uno te sōspite ciues,  
Extolluntq; altis tua nomina laudibus astris.*

*Si mihi seruabis, quæ nunc facis ocia, gratus  
Digna feram meritis, neq; erit mihi carius ullum,  
Quām tua victuris intexere nomina chartis.*

*Sed mihi seruabis, dat Iuppiter æthere celo  
Signa, fauent volucres etiam concordibus alis.*

F I N I S.




153028

AB: 153028





**Farbkarte #13**



SALA.  
AD REVERENDIS,  
*SIMVM ET ILLVSTRISSIMVM*  
*Principem SIGISMVNDOVM Archie-*  
*episcopum Magdeburgensem, & Mar-*  
*chionem Brandenburgicum.*

Michaële Haslobio Berli-  
*nensi Marchico autore.*



Vuitebergæ excudebat  
Laurentius Schuenck.

M. D. LXIII.

Ergidio ne viride et grisea flan-  
nis tñ. Paullo frñlio phisico  
phie ex armis Myro, amita suo  
Civitatis et ceteris.